



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De
Westphalia & Saxonia Inferiori**

Hamelmann, Hermann

Lemgoviae, 1711

VD18 11397225

1. Hermannus Hamelmannus de Populis olim in Westfalia habitantibus, sive de Saxonibus veteribus aut Westfalis Commentariolus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

DE POPULIS

olim in

WESTPHALIA

HABITANTIBUS,

atque de

Saxonibus & Westphalis, eorumque
significatione brevis commentariolus

AUTORE

HERMANNO HAMELMANNO,

Licentiate Theologo.

LEMGOVIÆ, Anno M D LXIV.

A

Eximiis & Ornatissimis Dominis

LUDOLPHO AB HORSTEN, Consuli,
&
RODOLPHO HAMMAKERO, Senatori in
Inclita Urbe Osnaburga, viris pietate & virtute præstantibus
& suis patronis colendis
Hermannus Hamelmannus.

S. D.

EXcelluit Pater tuus Martinus ab Horsten consilio virtu-
te & pietate in nostra Patria, Ludolphe, Consul eximie,
quia non solum Reip. bene præfuit, sed & religionis negotium
strenue promovit, & pios Evangelii ministros periculoso
etiam tempore fovit, suosque liberos ita educari voluit &
curavit, ut aliquando Reip. & Ecclesie utiliter ad gloriam
Dei inservirent. Et votum hoc pio patri bene cessit: quidam
enim ex eis hæcenus Ecclesie & Scholis utilem operam na-
varunt, & tu quoque optimus filius optimi patris nunc vesti-
gia ingressus es, ut merito felix sit nuncupandus pater, qui
tales filios procreaverit, & te præcipue Successorem in gu-
bernatione patriæ habeat, felixque tu sis filius, qui talem pa-
trem præeuntem habuerit: adde quod idem nostræ patriæ
præstiterit in rebus Ecclesie tuus patruus, vir venerandus
Lucas Horstenius, ante annos XL. quod tuus pater in poli-
tia: is enim Evangelium fideliter, cum Gerhardo Heckero,
primum Osnaburgæ in Westphalia prædicavit. Debet igitur
patria nostra multum tuæ familiæ: Quo nomine etiam tibi
gratias agimus, & oramus ut in omnibus patrem pium &
sapientem referre bonus Filius pergas. Quod ad te ornatiss.
Rodolphe attinet, volui veterem nostram amicitiam, ante
annos XXV. contractam in Scholis & nuper renovatam, hoc
testimonio confirmare & te orare, ut ita pergas studiosis &
Ecclesiis benefacere, ut cœpisti. Valet in Christo.

De

De POPULIS olim in WESTPHALIA habitantibus,
atque de Saxonibus & Westphalis, eorumque
significatione.

SUMMARI A.

1. Quales Germania populos Plinius enumeret?
2. Vandalos, Ingeuones, Istivones & Hermiones unde nomen trahant?
3. Sub Ingeuonibus comprehenditur potissima Saxoniam pars.
4. Tempore Caroli Magni fuerunt in Germania tres precipue populi, Saxones, Boji & Franci.
5. Germania in sex antehac, sed nunc in decem provincias est diuisa.
6. Saxonia vetus complectitur etiam Westphaliam.
7. Saxones olim sunt dicti Saca, vel Vira, vel Jutta sive Gutta.
8. Unde Gotlandia sit appellata?
9. Non convenit inter Gobelinum, Roleuincium & Krantium, unde sint Saxones denominati & orti?
10. Thuringi, quondam Dörringer nominati, ab ariditate vocati censentur.
11. Quid olim Schaf & Schaffen significauerit?
12. Speculum Saxonia de origine vocis Sachsen à Krantio refutatur.
13. Westphalia prius quam cetera terra ultra Visurgim tenuit Saxoniam nomen.
14. Hassones an ex Saxonibus orti? auctor non desinit.
15. Krantius cum Tacito existimavit Saxones esse indigenas.
16. Willichius retur Cattos esse Batavos.
17. A Cattis nomen urbis Cassellariæ & Comitatus Cagenellenbogen ducere originem credit Peucerus.
18. Auctor cum Willichio opinatur Cattos esse partim Westphalos partim Hessos.
19. Sicambri & Alani unde nomen adepti sint?
20. Flumen Laen, supra quod sedes habuisse dicuntur Saxones, ubi?
21. Saxones gesserunt bellum cum Francorum Rege, qui abstulit illis munitam arcem Coest, circa quam tunc coepta fuit ciuitas & data Cuniberto, Presuli Coloniensi: à Saxis quoque dictus creditur pagus Cassendorff prope Susatum.
22. Saxones quondam ab Holsatia, per diocesim Bremensem in Westphaliam usque ad Rhenum & consinia Thuringia sese extendisse dicuntur.
23. Saxones olim diuisi perhibentur in Oistphalos & Westphalos.
24. Westphalia nomen à Krantio à pullo equino derivatur, iuxta & ostenditur, quodnam Wedekindi ante ac post Baptismum fuerit insigne?

25. Sed juxta *Rolevingium* nomen *Westphalia* deducitur à *Francica* voce.
26. *Vandali* statuuntur *Saxonia* incolae primaque origine *Germani*, qui olim & circa *Albim* & in *Westphalia* sedestenerint, ita ut quidam *Westvali* quidam *Oistvali* denominati fuerint.
27. Ad urbes *Vandalicas* referuntur *Hamburgum*, *Luneburgum* &c.
28. *Vandalos* olim habitatores *Westphalia* fuisse probat Auctor.
29. De porta *Slavorum* urbis *Lemgoviensis* Auctoris opinio.
30. *Westphalorum* nomen quidam autumant antiquius esse quam *Saxonium*.
31. *Münsteri* Sententia de origine nominis *Westphalia* affertur.
32. *Oistphali* sive *Saxones* ultra *Visurgim* sese miscuere *Vandalis*.
33. *Henrici* de *Hervordia* Sententia de *Saxonia* laudatur, quae ab illo dividitur in *Oistenvelde* ac *Westenvelde*.
34. Juxta *Tacitum* in *Westphalia* primum habitaverunt *Bructeri*, quibus pulsus immigrarunt *Chamavi* & *Angrivarii*.
35. *Teutones* putantur olim sedes posuisse in *Superiori*, & *Ditmarsi* in *Inferiori Westphalia*, ita ut tunc *Frisia* fuerit pars *Westphalia*.
36. *Holsatia* reputatur *Frisiorum* *Colonia*.
37. *Bructeri* dividuntur in *Majores* & *Minores*.
38. *Bructeris* habitationem fuisse in *Westphalia*, & ab eis urbem *Osnabrigam* primò structam esse perhibetur.
39. *Osnabriga* extitit ante *Carolum Magnum*.
40. Et *Lippiam* olim inhabitasse *Bructeros* conjectatur.
41. *Frisi* sunt olim *Chauci* vel *Causii* appellati.
42. *Cauci* sunt distincti in *Majores* & *Minores*.
43. *Ditmarsi* dicti censentur von *Der Werschy*, i. e. à planitie aquosa.
44. Unde *Tuitium* videatur nominatum?
45. *Comitatus Tecklenburgicus* olim nuncupatus *Teutonoburgus*, quasi *Teutonum* *Comitatus*; Aliis à *Tencris* id nomen retulisse dicitur.
46. Alii alia loca *Teutonibus* assignant, nempe *Lubecam*, *Rostochium*, *Wismariam*.
47. *Chamavorum* sedes nominisque derivatio exhibetur.
48. *Angrivarii* etiam nominati sunt *Angli* & *Saxones*, à quibus *Britannia* fit adepta nomen *Angliae*.
49. *Ptolomaeus* retur, primum dictos esse *Anglos*, & aetatis progressu demum *Angios*.
50. Quo tempore *Coloniensis* *Præsul* assumerit titulum *Ducis Angriae* & *Westphaliae*?
51. Ab *Angrivariis* deducitur nomen *Engern*.
52. Sunt, qui arbitrantur, *Angrivarios* olim tenuisse veterem *Marchiam*.

53. Oppidum Angermunde in Veteri Marchia unde dictum videatur?
54. A fluminibus saepe urbes nomina sunt nata, e. g. Lipstadium à Lippe, Hamelonia ab Hamelen.
55. Angermunde in nova Marchia nomen habere reputatur ab Angeris.
56. Angeri olim incoluerunt superiorem Saxoniam.
57. Ab his nominata creditur urbs Zangerhausen.
58. Nominis Angria origo deducitur ab Anger/ i. e. à pascuis.
59. Alii Enger ab eng derivatum volunt, quod primitus nimis arcte ibidem habitaverint.
60. Tencri vel Tencteri ubi olim habitatio fuerit?
61. Nassica urbs Siegen est in Tencri.
62. Peuceri de Tencterorum sede opinio affertur.
63. Tencterorum & Tungerorum idem nomen esse suspicatur Melanchthon.
64. Ex Taciti sententia Tencterorū vicini fuere Bructeri & Catti, adeoque & Westphali: Id quod etiam Ptolomaei auctoritate adstruitur.
65. Cherusci ubi olim sua habitacula posuerint?
66. Willichii & Prolomaei de Cheruscis, Chamavis & Menapiis sententia sistitur.
67. Uspiorum, der Westerwaldischen/ sedes qua in regione extiterit?
68. Ubii quinam Romanis sint dicti & etiamnum dicantur?
69. Quinam populi Dulgibini, vel Dulnumnii & Dulgunnii sint vocati?
70. Mattiaci creduntur incoluisse Geldriam, Cliviam & Seelandiam, sicuti Menapii Juliacensem ditionem.
71. Opinio de Hannorum sede atque arce Wevelsburga.
72. Buschius, Tulichius, Bonnus & Glandorpius, ut homines in Patria sua historia versatissimi, dilaudantur.
73. Quisam hac tempestate vocentur Surlandi, Bergenses, Emeslandi, Schlachterlandi, Nortlandi & Delbrügii?

Plinius praecipuos Germaniae populos numerat Vandalos, 1. Ingevones, Istevoes, Hermineos, item Pencinos & Bacternas. Vandalos putant dici à wanderen / quod mercatoribus proprium est, Ingevones quasi incolas Einwohner / Istevoes quasi Westwohner / Hermineos hoc est bellicosos, Heremänner / Heremannos (unde dici volunt nomen Hermannus) Pencinos & Bacternas Dania propiorem populum faciunt.

Multi hodie potissimam Saxoniam partem, id est Westphalos, Cimbras & 3. Chaucos, sub Ingevonibus comprehendunt. Cum igitur sub istis populis Saxoniam comprehendant, utile fuerit, si ea quae non omnibus obvia

4. veniunt, dicamus de Saxonibus. Fuerunt tempore *Caroli Magni* & sequentium aliquot Imperatorum in *Germania* tres precipui populi, *Saxones, Boji & Franci*: facta est postea mutatio, & sequentibus seculis Capita, 5. hoc est, Principes *Germaniæ* omnibus rebus pacatis redegerunt in sex provincias, ut in *Franconiam, Bavariam, Sœviam, Saxoniam, Rhent tractum & Burgundiam*: Et tunc sub *Saxonibus* comprehensi sunt *Westphali* antiquo more: Hisque finibus omnes ubique Principes, Comites ac Civitates in Imperii Comitibus veteri consuetudine censebantur: Sed nunc sunt decem *Germaniæ* Provincie; Nam prioribus adduntur *Austria, Westphalia, Inferior Germaniæ & Inferior Saxoniam*.
6. Sub *Saxonia* comprehenduntur *Westphali*, imo teste *Krantio* in *Metropoli* libro 1. cap. 3. vera & vetus est *Saxonia*, quod etiam dicit in *Saxonia* sua cap. 10. libri 1.
- Omnes vero, teste eodem in *Proœmio Saxoniæ*, sentiunt aliunde *Saxoniæ* gentem navibus à mari adventasse, sed unde & quo tempore? inter scribentes parum convenit.
7. Sunt qui putant, *Saxones* olim *Sacas*, Græce *Σάγας* fuisse dictas, & ita ab *Herodoto* appellatos opinantur (inter quos est *Philippus*) & à *Segen* quod Sacerdotem significare ajunt, derivant, unde dictum volunt nomen *Saga*, item *Præfagium* & *Germanicum* illud *Segnen* benedicere, sive *seggen* loqui, inde translatum putant. Alii dicunt alium populum fuisse *Sacas*. Sed refertur in *Historia Darii* contra *Alexandrum* pugnantis de *Sacis & Dajis*, quod istos populos habuerit in exercitu: & certum est fuisse antiquissimū populum, quia scribit *Krantius* in *Proœmio Saxoniæ*, quod ab annis mille ante natum *Christum* pugna fuerit inter *Danos & Saxones*, hinc *Sacas* quasi *Vitas*, id est *Futtas* appellari dicunt, quos *Prolomeus* *Guttas* appellavit, unde *Gutlandiæ* sine dubio nomen inditum est, quæ in vicinia *Daniæ* est.
8. Sed contrarium alii referunt, præcipue autem *Gobelinus, Decanus Bileveldensis* (qui suum *Chronicon* scripsit tempore *Constantiensis Concilii*) quod mortuo *Alexandro* venerint à *Macedoniis & Græcis*, quia sibi ab istis timebant. *Wernerus Rolevinck* in libro de laude antiquæ *Saxoniæ* id est *Westphaliæ* (quem tempore *Basiliensis Concilii* scripsit) scribit, quomodo ex *Riphæis* montibus, qui sunt circa mare *Caspium* ad montem *Saxum Marpesiæ*, quidam turbati & profugi, cum *Alexander magnus* *Indos, Babylones & alia regna* invaderet peteretque, cum 14. navibus oberrantes tandem in *Halandiam, Halerland* nunc *Diceceseos*

mensis, venerint, ubi cum rogati essent, unde venirent, responderunt de Saxo, & ab eo tempore Saxones dictos esse, unde & *Holtzassen* (quod postea contracte *Holsten* dictum est) qui deinde in Westphalam progressi sunt, &c. Sed has opiniones refutat in Proemio Saxoniae D. *Albertus Krantius*, certis rationibus ostendens, fictitium esse: quod mortuo Alexandro aufugerint, quia cum Duces Alexandri dimicarent inter se, quisque indigebat militibus, & illos sane retinisset aliquis eorum: deinde nunquam quoque alicubi lectum esse vel etiam compertum ait, ut quis navigio à mari Caspio ad occiduas praesertim mundi partes adveniret, obstante mari congelato post *Riphæos* montes, &c.

Interim *Gobelinus* dicit, valde illi verisimile videri, quod à Græcis Saxones venerint, postquam illi utentes lingua Teuthonica magis concordent cum Græcis in prolatione & pronuntiatione vocum: item veluti inter omnes linguas fuit clarissima & sonorissima Græca, ita inter Teuthonica idiomata omnium ait clarissimam & habitioem Saxoniam linguam.

Aliam Etymologiam Saxonum idem *Gobelinus* reliquit, scribens, quod cum Saxones paulo ante *Valentinianum* in Germaniam venissent, & à populis, qui postea *Thuringi* dicti sunt, emissent certa auri summa, terræ & possessionis tantum, quantum pallio quis gestare posset, acceptoque pulvere conspersissent locos multos istius regionis, & illam terram, vel locos conspersos invasissent & inhabitassent, tandem inito prælio vicissent *Thuringos* (quos ita vocaverant *Dorringe* quasi aridos 10. & parvos viros) postea vero uterque populus tractandæ pacis causa convenisset, & Saxones tunc sub sagis vel palliis clam gestassent magnos cultros, quibus ex improvise adorti sunt *Thuringos*, & tandem eos occidissent, ab istis cultris nomen acceperint *Sassen*. Nam apud veteres Saxones dicebatur *cultrillus acutus* *Schas*/unde adhuc est, inquit 11. *Gobelinus*, ut à senioribus apud nos *novacula* dicatur *Schas* & verbum *radere*, quod est *novacula* barbam abscindere, vulgariter dicatur *Schafs* *sen*: Et phrisonibus dicuntur hodie *Westphali* sua lingua *Saxen*/ut erant illi primæva natione Saxones, &c.

Sed istam quoque opinionem bis in Saxonia refutavit *Krantius*: Interim & *Wernerus Rolevingius*, & *Gobelinus*, atque *Münsterus* in sua Cosmographia, sequuntur istum sensum de Saxonibus, qui in *Speculo Saxo-* 12. *num* articulo 44. extat, quomodo *Asiani*, mortuo *Alexandro*, contra *Petroculos*, qui fuerant in *Castris Alexandri*, bella gesserint & illos eiecerint

cerint ex regione Ciliciæ : illos vero Petroculos venisse cum classe in Borussiam, duodecim vero postea in Holfatiam & Ditmarsiam, atque progressos in Westphaliam. Sed autorem Speculi illius vehementer Krantius perstringit & erroris convincit, &c. Alii Saxones derivant à Saxo, quod sint tanquam saxum robusti. Quod vero Saxon vulgari lingua dicuntur & non Sacsen/ hujus rei hanc dat Gobelinus rationem, quod ante tempora Octaviani X litera non esset in usu latinis, sed pro ea scriberentur C & S literæ, unde Sacsen postea Sassen.

Sed placet verba Krantii, vel potius ejus coniecturas ascribere ex ipsius Proœmio in Saxoniam :

Ptolomeus (ait) nominat Saxones, & dicit illos habitasse ad Cymbrorum dorsa, hoc est, ab Austro Cymbrica regionis, quæ eodem teste est Jutia: Item, Ptolomeus testatur in Asia illa Boreali supra montes Alanos habitare, in vastissima illa Scythia citra tamen Imaum montem habitare, Saksones; sed nullus scriptorum prodit, quod in Germaniam profecti sint ad quærendas novas sedes : Et mox, Pulsis *Vandalis* regionem occupare Saxones, quos facile permitto Saksones nominari; verum est tamen,

13. quod ea, quæ nunc est *Westphalia*, prius quam cætera terra ultra *Visurgim*, teneret *Saxonia* nomen. Sed poterat in longis seculis vicissitudo esse pellentium & repellentium invicem nationum : Hassones qui ab Hircinio saltu ad Rhenum plana incolunt, si sint aliqua Saxonum portio, ut mutata pro consuetudine Græcorum H litera in S, aut contra pro Saxonibus, Hassones sint dicti, non definitio.

15. Rursum mox ex Tacito probare conatur Krantius, contra opinionem aliorum, Saxones esse indigenas. Pergit deinde sic scribere : Strabo & Tacitus *Cattos* appellaverunt gentem, quæ ab Hircineis montibus in plana descendit & ad Rhenum usque prorogatur. Et prolatis verbis Taciti, quibus hoc aperte docet, sic tandem ait Krantius : Hæc certe *Saxonibus* congruere & de illa gente esse per scripta, qui animadverit & sine invidia judicat, protinus intelliget. In *Hercinia* enim Regio illa incipit, & cum rarefcentibus montibus natio deducitur usque in *Hassiam* atque *Westphaliam*, & durant quidem Hercinii usque ad *Visurgim* & illo etiam transcensò in *Westphaliam* perveniunt in terram usque Ducatus *Montensis*, &c. Hæc ille.

16. Sed *Willichius* censet *Cattos* esse *Batavos*, qui hodie sunt *Trajectenses*, *Geldrenses* & *Hollandi* (quorum illi nomen à *Gelsten* / unde *Gelt* / pecunia est, valere latine, quos alii *Celtas* putant à *Gelsten* habent : isti vero

à cavernis subterraneis sic dicuntur post inundationem factam anno Christi 860. quæ subruta terra & eluvione cavata cepit esse cavernosa) & dicuntur in ea regione habitare, die *Herren von Bathyenberg / Batenberga* quod nomen nihil aliud dicit esse quam *Cattorum Berga*. *Peucerus* propius accedit ad *Krantium*, & ait: *Cattorum* vel *Cattorum popu- 17.*
lum circa Cassellas esse (unde forsitan urbi nomen est & *Comitatus Catzenellenbogen*) versus *Gottingam* & *Paderbornum*, ubi est aditus ad *Westphalam* à montibus *Abnobiis*, & docet eosdem esse *Hessos qui Catti*: Verum ipse *Krantius* postea videtur etiam *Willichii* sententiam approbare libro 1. cap. 3. sic ajens: Testatur *Tacitus Batavos* (nunc *Geldrenses*) esse genus *Cattorum* hoc est *Saxonum*, & recitatis ipsius *Taciti* verbis ostendit à *Cattis*, id est, *Saxonibus* progressos *Geldrenses*, &c. Sed ut semel dicam cum *Doctore Willichio* quod res est, *Catti sunt partim Westphali, 18.*
partim Hesi, &c.

Audivimus hæcenus multorum conjecturas de *Saxonibus*, & didicimus etiam quales fuere populi, nunc dicemus quomodo hic populus sit divisus, ut tandem ad nostram *Westphalam* perveniamus.

Krantius sic scribit libro 1. cap. 16. In *Historia Romana* usque ad annum post natum *Christum*, trecentimum nullam comperio *Saxonum* mentionem sub eo nomine, Primum *Entropius*, deinde *Orosius* temporibus *Diocletiani* & *Maximiani Imperatorum* hanc gentem nominant: Item *Sicambriani* (die *Seefanter / die an der Seefant wohnen*) 19.
 id est *Franci à Valentiniانو* invitati ad debellandos *Saxones supra Lanum habitantes*, à quo fluvio *Alani* sunt dicti, in *Oceani* litore residentes supra *Rhenum*, qui *Romanum imperium* incurfabant, & quia debellari commode non possent à *Romanis* ad paludes intransibiles, quibus se tutabantur, promisit, si gens, *Sicambrica* dicta, *Saxones* debellaret, quod tributo decennali laxari deberent. Sed capite 17. sic pergit: Quem autem fluvium dicit *Lanum* non agnoscimus, nullus enim est in *Saxonix* 20.
 regione hoc nomine rivus: Si vero diceret *Salanos*, hoc est habitantes ad *Salam*, possemus *Saxones* agnoscere, verum ut huc tamen aliquos referri cogat, putat hoc de *Chaucis*, quos dicit *Saxonibus* annumerari & esse *Phrisos*, intelligi, qui ait in palustribus locis habitant, &c.

Verum in terra *Brunsvicensi* est Flumen dictum *Leena*, die *Leyn* quæ præterfluit *Wolffenbüttel* arcem & oppidum, & ipsam urbem *Brunsvicensem*, atque demum exoneratur in *Aleram*, *Alera* vero in *Visur-*
 gum

- sum, &c. Verum quod de hoc flumine dicta illa intelligi non possint, me movet hoc quod dicit, supra Rhenum, Est autem in Surlandia vel ditione Coloniensi Westphaliæ ab hac parte Rheni flumen, profluens ex monte *Alstenberg Lana*, in quam influit *Bicha*, & variis piscibus abundat, illeque *fluvius Lana*, die *Læn* fluit in Ruram. Crediderim Saxones (ut plerique etiam sentiunt) tunc circa istam *Lænam* in Westphalia habuisse sedes, & quia in plerisque locis est paludinosâ Westphalia, aut ad *Chaucos*, qui tunc in Emeslandia versus Phrisiam habitaverunt, commode profugisse, aut in patria sedelatibula quæsisse, ut verba illa de
21. Westphalis recte dicantur, qui olim Saxones dicti sunt. Nam *Bartoldum Saxonum ducem* gessisse bellum cum *Clothario Francorum Rege* ejusque filio *Dageberto*, testatur *Krantius* libro 1. cap. 31. suæ Saxonix; & testatur *Chronicon Coloniense* ac civitatis *Lippiæ*, ablatam Saxonibus fortem arcem & presidium cum attinentiis, hoc est, adjunctis proprietatibus, *Soest*, quæ tunc cepta fuit ædificari civitas, eamque postea datam *Cuniberto Coloniensi Episcopo*, hinc asserunt quidam pagum quendam dictum, *Sassenorp circa Susatum*, &c. item in ditione *Monasteriensi* adhuc est *arx Sassenberg* dicta.
22. Quare certum est hic fuisse in Westphalia Saxones: facit autem *Krantius* initium Saxonix nationis *trans Albim ab Holsatia*, inde transiliens per diæcesin *Bremensem* in *Westphalam* usque ad *Rhenum* & ad *confinia Thuringia*, in qua (ait) olim non contemnendam partem Saxones militix stipendium à Francis, quibus militavere, susceperunt, lib. 1. c. 1.
23. Saxonix. In Metropoli autem scribit libro 1. cap. 3. *Wiseram* sive *Visurgum* esse limitem Saxonum, & Saxones olim fuisse divisos in *Oistphalos* & *Westphalos*, sed ultra *Visurgim* habitasse tunc *Vandalos* ad *Albim* usque, at immixtos eis Saxones esse, qui à *Carolo magno* fugabantur, eosque *Oistphalos*, illos vero *Westphalos* dictos, qui in patriis oris remanserant: Hoc aliter & quidem clarius dicit in sua Saxonix libro 2. c. 2. Unde autem nomen sortiti sint Saxones (cum alias semper dicta sit Saxonix, quæ nunc est Westphalia teste eodem in Proemio Saxonix &
24. libro 1. cap. 10. 21. & 31. & libro 2. c. 2. ut dicti sint *Oistphali* & *Westphali*, hanc dat rationem *Krantius*: quia Saxones sua lingua dixere *Walten pullum equinum*. Gesserat etenim in suis insignibus *Wedekindus*, qui pacato bello *Carolino* solus possedit *Westphalam*, pullum equinum nigrum & atrum, cum autem mutaverat religionem, voluit etiam *Carolus* in
signis

signa mutari, ut jam album sibi pulum equinum in armis pro signo assumeret, de quo prolixius agit libro 2. cap. 24. suæ Saxoniae. Nam inde adhuc habent *Duces Brunsvicensis, qui sunt ex genere Wedekindi, in Conopulum equinum.*

Wernerus Rolevingius in suo scripto de Westphalia, quod restituit 25. *Ortwinus Gratius*, putat nomen *Westphalen* à *Francico* vocabulo *Phalia*, quod fallaciam dicit significare, vel à *Phalos*, quod est socius esse. Movit fortasse illum privatarum quarundam familiarum, earumque nobilium, nomina, quæ fuere in ipsa hæctenus *Westphalia, Westphalar, Eissphalar*, (forfan *Disphaler*) Nobilis *Westphalorum* familia in ditione *Paderbornensi* & hoc Comitatu adhuc superest; *Eissphalorum* genus puto interuisse, *Remberti* autem à *Karssenbroick*, nunc Episcopi *Paderbornensis* mater, fuit ex nobili *Eissphalorum* familia oriunda. Putat igitur tales nobiles venisse cum *Carolo* in *Westphalam* *Rolevingius* forsan, atque opinatur inde nomen inditum utrique terræ, &c.

Alii opinantur *Vandalos*, quos initio *Saxonia* incolas & non advenas 26. dicit *Krantius* esse, atque prima origine *germanos* facit, utrobique & circa *Albim* & in *Westphalia* habitasse, & inde dictos *Westvalos* & *Oistvalos*, atque cacophonie gratia unum u detrahitum ab antiquis, Et habitasse circa 27. *Albim* *Vandalos* testantur adhuc urbes celebres circa eam sitæ, quæ dicuntur *die Wendeschen Stedde* / *Vandalicæ* urbes, quales sunt *Hamburgum, Luneburgum, &c.*

Et ab hac parte *Visurgi* fluminis in *Westphalia* habitasse *Vandalos*, aliquot in hoc comitatu *Lippiaco* testantur pagi, quorum nomen generale est *die Wende Börde* / adde quod nobiles hodie sint in *Westphalia* dicti *die Wenden* / qui multum olim dominii & juris habuerunt in hoc Comitatu & urbe *Lemgovia*, ubi adhuc est porta dicta *die Slages Porten* / id est, *Slavorum* 29. porta, circa quam suas *Curias* & *Hortos* habent isti nobiles: Est autem illa porta versus illam ditionem sic à *Vandalis* nuncupatam, sita.

Alii putant *Westphalorum* nomen esse antiquius quam *Saxonum*, & ve. 30. luti *Ingevones* dicuntur apud veteres *Incolæ Einwohners* / ita *Istevones* *Westwohner* dicuntur apud veteres *Rheno* proximi, ut *Estwohner* *Istivones* olim dixerint addita *W* litera, & hinc *Westwalen* esse. Et putant hos *Plinio* dici, ait *Willichius*, *Wistivones*, *die Westen wohner* / hinc *Westwalen* / &c.

Munsterus in sua *Cosmographia* sic scribit de *Westphalis*: Cum Lon- 31.

gobardi in Italiam proficiscerentur, habuerunt comites Saxones, sed ad differentiam aliorum reversi vocarunt socios suos Westphalos, cum quibus ad morem Italicae urbis Mediolani aedificaverunt in Westphalia (tunc Saxonia) novam urbem, cui Mediolani nomen indiderunt, quae postea corrupte *Mimigrad* pro *Meilan* / nunc à Monasterio postea ibidem extructo trans aquas, *Munster* nomen habens, dicebatur; Alii autem, ut pergit scribere, putant hinc ortam differentiam, quod à Caroli magni exercitu sint, manentes in hac provincia Westphali dicti, ad differentiam profugorum & rebellium, quod sciri posset, quinam morigeri fuissent. Krantius in Metropoli lib. 1. c. 3. & in Saxonia lib. 2. cap. 9.

32. fere idem scribit docens, quod fugientes & profugi *Saxones ultra Visurgum se immiscuerint Vandalis*, illosque deinde *Ostphalos*, manentes vero Westphalos appellatos: Sed tunc non potest esse verum, quod Krantius alibi ait, atque quidam constantius referunt, primum Saxones ab Albi & Holsatia venisse, & progressos esse in Westphalam, sed potius verum esse *ex Westphalia in Holsatiam profugisse*, quod etiam videtur verisimilius, quia & Rolevingius non semel inculcat Westphalam esse veterem Saxoniam, & saepe docet Krantius tam in Metropoli quam in Saxonia, olim fuisse Saxoniam quae nunc est Westphalia.

Omnium autem simplicissimam & veritati forsitan magis consentaneam rationem inveni in *Chronico Coloniensi Germanico*, quod excudit Coloniae Anno Domini 1499. *civis ibidem Joannes Koelhoff*, ubi sic legitur,

33. *Henricus de Hervordia*, ita scribit de Saxonia: Saxonia est regio quae ab Albi ad Rhenum extenditur. Et deinde in Legenda sancti etiam *Ewaldi* legitur, quomodo illam Saxoniam diviserit wisera flumen, ut divisi *Ostveldi & Westveldi* dicerentur, *die am Distensvelde und am Westensvelde wohneten* / unde adhuc esse nomen apud eos qui hodie Saxones dicuntur, constat *die Distlinge* / quo nomine illos qui ex Oriente ex Saxonia veniunt notantur, sic etiam Germanice *die Westvelinge* dicuntur nostrates: Veluti in *Distfriesland & Westfriesland* dividitur hodie Phrisia: & olim Ostrogothi & Westrogothi dicti sunt, &c.

Haecenus de Westphaliae & Westphalorum nomine diximus, nunc de iis dicemus populis, qui olim in ea provincia habitaverunt, quae nunc est Westphalia, & primo de Bructeris & aliis.

34. Sic scribit *Tacitus* in Germania: Juxta *Tencteros Bructeri* olim occurrebant, nunc *Chamaevos & Angrivarios* immigrasse narrat, pulsis Bructeris,

eteris, ac penitus excisis vicinarum consensu nationum, &c De his sic ait Willichius: Hi sunt Ptolomæo Busactores hodie Lupiani & Monasterienses usque ad Offenbrugum, quod ab iisdem forsitan nomen accepit, &c. Krantius sic scribit capite 13. libri 1. Saxonæ: Strabo narrat Drusum in Amasi rem navali prælio gessisse adversus Bructeros, (qui pars fuere Saxonum) nam Amasis Saxoniam (id est Westphalam) perlabitur in Chaucis, hoc est, Phrisiis mari mixtus, Bructeri accolæ fluminis, id est, Saxones, nunc Westphali sunt. Quis enim neget, ait, Mediterraneis Saxonibus Ducem Romanum conservisse manus, quoniam etiam à mari tonans in Amasi Bructeros, hoc est, fluminis accolæ, nunc Westphalos, olim Saxones & ante Bructeros perdomuit. Ænæas Sylvius scribit ex Strabone quoque Bructeros habitasse circa Amasim fluvium, & ibidem à Druso fuisse petitos: & ita ipsos bello victos fugisse tandem ab Austro in Aquilonem, & per Oceanum delapsos esse & venisse in Borussiam, unde dicit plurimos existimare, quod ab eis Bruteni nomen traxerint, &c. Sed alii sub Russis Borussos complectuntur.

Interim sic scribit Willichius ex Ptolomæo: supra Busactores Phrysi sunt usque ad Amasium fluvium; Illi autem forsitan sunt intra Amasium & Visurgum.

Sunt qui dicunt *Ditmarfos* & *Teutones* tenuisse ora Westphaliæ & *Teutones* tunc habitasse in superiori Westphalia. *Ditmarfos* vero cum *Bructeris* habitasse in inferiore, ideo dicuntur Bructeri Krantio esse accolæ fluminis Amasis, & ipse scribit in Metropoli libro 1. cap. 9. partem Westphaliæ esse *Phrysiam* (ut alibi in oratione de quibusdam viris illustribus Westphaliæ qui latinitatem restituere Germaniæ, non inepte Westphalis annumeraverim Rodolphum Agricola) *Ditmarfos* vero ex Phrisia progressos esse testantur quidam usque in Holsatiam, hinc dicta fuit olim *Holsatia Phrisiorum Colonia*, Bructeros autem mansisse, &c. Sed hic movet scrupulum nobis, quod constituent Bructeros *Melanchthon* & *Peucerus* ipsius Gener ad *Goslariam*, unde esse dicunt ibidem in vicinia montem hinc dictum, *der Bruecksberg*, ad *Harciniam*, unde *Lucanus* venit accolæ sylvæ Bructerus *Harcinæ*, &c. Sed quia *Tacitus* dicit, *Chamavos* & *Angrivarios* turbasse sua sede Bructeros, putant itaque aliqui turbatos tunc ibi locum quæsisse, vel inde saltem in has regiones venisse & postea ejectos: Alii ex Ptolomæo Busactores in mino-

- res & majores dividunt, quod etiam Peucerus indicat, & majores fuisse illos qui circa Goslariam morati sunt, minores vero qui ad Wiseram flumen accolæ fuere circa Osnabrugum Bremam usque indicant: verum Willichius ponit minores Busacteres intra Amisim & Visurgim, majores intra Albim & Visurgim: Quocunque modo differant autores
38. de Brueteris, certum est illos sedes in Westphalia habuisse, & meam patriam urbem celebrem ab eis inceptam & primo structam, nempe Osnabrugum in Angrivariis Westphalorum: quia si ex sedibus suis turbarunt Bructeros Angrivarii, & illi in locum successerunt, denique si Osnabrugum est in Angrivariis, ut testatur etiam Munsterus in Cosmographia, tunc verisimile fit, Bructeros istam urbem ædificasse, & verba indicant
39. Krantii in libro 1. Metropoleos capite 2. extitisse urbem illam ante Carolum magnum, cujus ipsa verba hæc sunt: Superatis Saxonibus & fugiente Wedekindo, fervavit multos ea lege, ut Christi fidem cum religione susciperent. Igitur in loco Osnaburga habitatoribus satis frequente cum vicinam Wedekindi arcem jam captam imposito firmasset præsidio, exædificavit Ecclesiam ibi in Saxonia & Provincia primam & episcopalem, &c.
- En! ergo ante Carolum fuit ille locus vel urbs habitatoribus satis frequens: Quod vero inter Busactores Willichius Lupianos numeret, nescio an quadret, sed quia sic potest defendi, quod in transitu ab Harcinia sylva per Visurgum forsitan primum ad Lippiam deinde ad Amasim sepes fixerint, vel postquam Angrivarii dicantur ipsorum sedes invasisse, & nunc Angrivaria ad Lippia & Visurgi ripam sita est, inde conjectari
41. posset, quod Luptani olim fuerint Bructeri. Sed Chauçi immiscentur Brueteris, & dicit in Chauçi, hoc est, Phrisiis immisceri Amasim mari Krantius, ergo juxta Krantium illi essent nunc Emeslandini in Emeslande/ubi oppida sita sunt Haselunden/ab Hafa præterfluente & dilabente in Amasim, item Meppen/&c. quæ sunt ditionis Monasteriensis versus Phrisiam, sed ipsos vocat Phrisios libri III. cap. 6. docens: Phrisios olim
42. Caucos dictos & aliquando sub Nerone militasse Romanis. Peucerus distinguit Caucos in minores & majores, & minores ad Visurgum, ubi Brema est & Mindensis Verdensisque episcopatus, sed majores ponit ad Albim, ubi Ducatus est Lunenburgensis & vetus Marchia. Philippus Melanchthon dicit Phrisiis proximos Caucos vel Caycos ad Visurgim usque Bremam. Quare juxta ipsius verba recte quidam referunt loca Caucorum fuisse

fuisse Comitatum Oldenburgensem ad Huntam fluvium, item Deipholtensem & Hoyensem, atque partem Dioceseos Mindensis ab hac parte Wiserae.

Et recte ait Tacitus à Frisis incipere Chaucos, ideo etiam ex Ptolomæo Willichius *minores Chaucos intra Amasim & Visurgim* constituit, & recte; sed in eo errat, quod ipsos putet Groningensem terram, &c. *maiores ad Hamburgum intra Visurgum & Albim.* Diximus & *Ditmarfos* 43. habuisse hic sedem (qui forsitan olim *Marsi* fuere) quod etiam testatur Melanchthon, dicens quod non solum Westphaliæ, sed etiam oram Clivensem tenuerint olim. Et puto illos dici von der *Mersdy*, quod nostra lingua significat *planiciem aquosam*, qualis Emeslandia in conterminis Phrisiæ est, & nunc *Ditmarfia*. Vicit autem C. *Silius Cattos & Marsos* ac fudit post natum Christum anno 17. unde colligitur vicinos tunc fuisse illos *Cattis*.

Diximus etiam de Teutonibus qui *Caucis & Phrisiis* vicini fuere, in qua sententia est etiam Melanchthon: verum ut diximus, putant nonnulli *Teutones & Ditmarfos* tenuisse Westphaliæ, & *Teutones* superiorem, *Ditmarfos* vero cum *Bructeris* inferiorem Westphaliæ partem tenuisse referunt, ideo *Teutones*, quos alii *Thuiscones* appellant, 44. putantur ad *Tuitium* usque è regione *Coloniensis* urbis sedes habuisse, & *Tuitium Duerz* à Teutonibus *Dudeschen* appellari; quanquam *Chronicon Coloniensium* hoc neget, & tradat *Tuitium* dici à tuendo; quod fuerit propugnaculum *Coloniensis* urbis, & ibidem habitatores, cives etiam habiti olim sint *Coloniensis* civitatis. Alii autem in *vicinia Phrisiæ* ponunt *Ditmarfos & Teutones*, *Ditmarfos ad Visurgim*, *Teutones circa Amasim*, atque ab eis esse ajunt dictos *Comites de Terkneburg*, quem 45. *Teutonoburgum* *Comitem* quidam scribunt, & certissimum est illius dominatum fuisse olim amplissimum usque ad *Phrisiam*, ubi in *Mare* influit *Amasis*, unde est, ut opinor, quod adhuc in armis gerat *ancoram* & *herbam* quandam *marinam*: Quasi ille fuerit olim *Teutonum Comites* &c. Alii tamen existimant illum rectius *Teuckenburgensem* dici à *Teuckris*, nam certum est antiquissimum inter omnes alios nostræ gentis *Comites* esse ipsum. *Teutones* alii ponunt ad locum ubi nunc est 46. *Lubeca*, inclyta Imperii urbs; *Peucus* autem *Teutonarios ad Rostochium & Wisariam* refert.

Chamavos alii *Caucos* dicunt esse, *Chamavos* dicit *Peucus* partem 47.

olim Westphalia

- Westphalorum* fuisse ad Osnabrugum & Monasterium. Sed juxta Tacitum Chamavi cum Angrivariis Bructeros ejecerunt, ergo circa Osnabrugum Angrivarii ad Visurgum sedes habuerunt usque ad Lippia oram & Amasis caput: Progressi vero Chamavi supra Monasterium urbem, partem illam ad Hammonem urbem Comitatus Markæ, quæ sine dubio ab amne nomen habet, ut est etiam elegans & amœna, tenuerunt, ubi sunt Gwerda oppidum & Camen, quod forsân oppidum à Chamavis nomen habet: Chamavos ab Amasi dictos alii putant, quasi accolæ illius fluminis. Nunc descendo ad Angrivarios, & hic primo ponam verba Krantii, quæ extant libro 1. Saxoniarum cap. 18. Britanni, inquit, cum viderent se à Pictis & Scotis vexari, evocarunt Anglos Saxonem ex propinquis Germaniæ litoribus in auxilium, pecuniis in stipendium datis. Saxones igitur, duce Vortegerio insulam ingressi, Scotos atque Pictos prælio superarunt, Hinc Angli Britannici dicti sunt: Idem in eodem lib. c. 20. Ab Anglis Saxonibus in hodiernum usque diem Anglia nomen habet, Advenerant in Angliam de tribus Germaniæ titulis fortioribus, Saxonibus, Anglis & Juttis, & cum de Saxonibus & Juttis ibidem dixisset, sic pergit: Anglia dicitur ab eo tempore usque hodie manere deserta inter provincias Juttarum & Saxonum: Et mox ex Ptolomeo docet Anglos ab initio ita vocatos, sed ætatis progressu, corrupto ut sit vocabulo Anglis Angiros dici ceptos, quorum Princeps fuit Wedekindus, & posteris seculis toti Provinciæ dominabatur illo tempore, quo Carolus Magnus provinciam omnem Saxoniarum ad sacra Christi cogeret, hodieque se Principes Saxoniarum Duces Angliæ & Westphaliæ præferunt in titulis;
49. Coloniensis autem Archiepiscopus ex eo die, cum destitueretur Henricus Leo ista provincia, assumpsit sibi illum inscriptionis titulum, &c. Ergo putat illos ipsos esse Angiros, qui Angli dicti sunt apud Bedam, cum autem dicit Tacitus Angrivarios cum Chamavis profectos in Bructerorum loca, eaque expulsis istis occupasse, videndum unde, venerint & qui sint?

Fit mentio Angaria in diplomate & privilegio à Carolo Magna dato Ecclesie Osnaburgensi de Schola & Collegio studiorum erigendo ibidem, sed an per vocem istam intelligatur Angaria nescio; Krantius putat, ut audivimus, Angliam ab eo tempore, cum Angli irent cum Saxonibus & Juttis in Britanniam, (aut forsân, ut ego conjicio, cum in loca Bructerorum proficiscerentur) mansisse desertam inter Provincias Juttarum & Saxonum.

Melanchthon scribit in Westphalia esse Angrivarios, unde reliquum nomen est Engeren/ & appellatio Angli huic affinis est. Peucerus videtur disjungere Anglos ab Angrivariis, nam sic scribit: Svevi Angli Ptolomæo sunt gens maxima in mediterraneis. Ab his in Pomeranea nomen oppidi *Angleem*, quasi patria vel domicilium Anglorum. Beda Presbyter hos prodidit inter *Vitas & Saxones* sedisse, & invitatos à *Vitigerno Britannorum Rege* ad depellendos *Scotos & Pictos*, &c.

De Angrivariis sic scribit: *Angrivarii antiquitus sedes habuerunt ad Albim ubi verus est Marchia.* Oppidum *Angermundum* ad confluentem Anagri & Albis, gentis nomen retinet, postea in Bructerorum loca emigrarunt, ut Tacitus refert, &c.

Sed opinor Angermundum ita dici ut Ruremundum. Nam ut nos germanice vocamus os *ein Mund*/ fit ut in confluentia duorum fluminum alterum ab altero tanquam ore quodam absorbeatur, hinc est in Geldris *Ruremund* / ad confluentiam *Ruræ & Mosellæ*, & forsân in *Marchia Angermund* ad confluentiam *Anagri & Albis* situm, inde nomen habet quoque. Solent enim à fluminibus pleræque urbes nomen accipere, ut *urbis Lippia* à *Lippe* / *Hamelonia* à flumine *Hamelæ* accepit nomen. Sic autem scribit *Willichius*: est oppidum hodie, cum insigniori & editiori arce, in qua est sacellum multis gemmis ornatum, *Caroli 4.* nisi fallor, opus (quod & incolæ *Carols Capell* nominant) & dicitur *Angermundum*, tanquam *Argrivariorum* ostium in veteri *Marchia*, quæ septem urbibus constat, primum in *Albis* ripa, quæ illis ceterior, nobis ulterior est: *Ridicula* autem etyma quorundam non tanti facio, neque *T* litera in capite dictionis apposita memovit. Nam id factum est propter alterius in *Marchiæ* media in ripa *Viadri* oppidi positi, *Angermundi* vocati, discrimen.

Consentiunt quidem isti duo, sed quia istud flumen dicitur de *Tanger* vulgò, unde *Tangermund* recte vocatur oppidum: aliud autem oppidum in *nova Marchia* dicitur *Angermund*/ interim communiter addunt isti oppido augmentum *Ketterangermund*; verum quia *Angli ad Futtarum* locum & circa *Pomeraniam* referuntur ab aliis, potest rectius istud oppidum *novæ Marchiæ* de *Angaris* intelligi, quod illam aut circa illam morati sint vel ædificaverint istud oppidum *Angiri*. Sed si licet ita conjecturis agere, potest fieri ut ista oppida, aut alterum eorum, ab *Hermunderis* habuerit nomen, qui olim ad *Salam* flumen eum *Cattis*

56. tis dimicarunt, circa Episcopatus Magdeburgici terminos : Quantum ad Angeros attinet, conjicio ego potius illas sedes habuisse in superiori
57. Saxonia, puto in Thuringia ad oppidum Zangerhausen / dictum quasi *zu Angerhausen / zu der Angerhaus / da die Anger haben Haus gehalten oder Behausung gehabt*. Et nisi Tacitus referret illos in Bructerorum lo-
58. cos abiisse, potius crederem à *natura loci nomen sortitos Angeros* : Quia illa pars, quæ in Westphalia olim ad Angriæ ducatum est relata, est plerumque pascuosa, & nostri Westphali locum pascuis abundantem solent vocare *ein guten Anger / eine gute Weide / sonderlich da gute Klaverweide*
59. *ist / dicitur ein Anger*. Alii Engeren ab eng. derivatum volunt, quod illi forsitan prius nimis arcte *zu eng gewohnet haben / & ideo se diviserint, &c.* Sunt conjecturæ & nihil certi probant. Rolevingius autem & Gobelinus sunt cum Krantio in illa sententia, eundem esse populum cum Angeris, qui in Britanniam vocatus est. Utcunque sit, nos diximus de diversis hominum opinionibus. Quot enim homines tot sententiæ.
60. Dicendum etiam de Tencris, *Tencros vel Tencteros à Francofortia in ripa Meni versus Moguntiam & ripam Moselle usque ad Coloniam Agrippinam habitasse ad tractus Nassauensis & Widensis Comitatus ajunt* : Et ad Comitatum Marchiæ post Altena & alia oppida istius Comitatus, atque in vicinia oppidorum Surlandiæ ditionis Coloniensis est situm oppidum
61. Comitatus Nassaviensis dictum *Sitgen / quod omnes scribunt esse in Tengris*, quasi principium ab hac parte Westphalia. *Sacerius*, quam diu ibi ageret Superintendentem, sic semper scripsit, datum *Segene Tengrorum* Comitatus Nassoviensis, &c. *Peucerus* de his sic scribit : *Tencteros infra Catts & Usipites dexteram Rheni ripam incoluerunt* : Rheno tantum ab Ubiis distincti, ubi sunt *Ducatus Clivensis & Bergensis*, cum aliquot Comitatibus : *Pars horum Rheno transmissa Tungris in Belgico originem dedit apud Cæsarem, &c.* Hinc *Melanchthon ait*, *Idem (Tencteorum) nomen esse judico Tencteros & Tungeros*. Nominantur autem *Tungeri infra Coloniam Juliacenses*, etsi postea longius progressi sint. *Tacitus dicit juxta Tencteros habitare Bructeros* : aut igitur in Westphalia habitaverunt Tencteri, aut in vicinia : quia inquit illos etiam proximos Catts fuisse. *Willichius dicit Tencteros ab aliis vocare Tenctheros, Apiano Tancheros, Plutarcho Tenterides (quia erant bellicosi, hinc est quod ille ipsorum mentionem facit) Ptolomeo Tingeros Lani & Lupia ac Rheni accolae esse, &c.* ergo juxta hanc quoque sententiam, in vicinia Surlan-

landiæ, in qua est flumen Lana ut diximus, habitarunt. Tacitus dicit in 65. vicinia Chaucorum Cattorumque habitasse Cheruscos: & certum est sub Cheruscis & Longobardis fuisse Bructeros; sed quia Bructeros ad Harcniam sylvam referunt, putat Melanchthon Cheruscos ad Nordhausen & Goslariam referri. Cheruscos inquit Peucerus ad Harcniam cum bona parte Thuringorum refero, atque alludit germanica Interpretatio Cherusci die Hergischen / præcipue autem dicit ditiones Anholtinorum Principum, Schwartzburgensium, Mansfeldensium & Stolbergensium Comitum comprehendi & sub Cheruscis.

Willichius dicit ex Ptolomæo, Cheruscos esse accolas Albis, & Cerve- 66. tum inter Wittenbergam & Magdeburgam, oppidum Principum de Anholt; ab eis dictum: Sed quia Chamavis vicini dicuntur, hoc debet intelligi antequam in Westphaliam proficiscerentur cum Angrivariis & eijcerent Bructeros: aut si debet de Chamavis in Westphalia morantibus intelligi, tunc sunt Westphaliæ vicini: Willichius ait Menapios per Mosam a Tugris separari.

Uspii sunt proximi Cattis & Tencteris, die Westervoldeschen. 67.

Ubi sunt Romanis scriptoribus transrhenani versus Westphaliam, 68. sed Colonia Agrippina ab Agrippa, qui Ubios ad interiorem Rheni ripam deduxit, dicta est: nunc putant esse Ubios, qui morantur in loco dicto die Eysfel. Dulgibinos esse vicinos Chamavis & Angrivariis cum Cas- 69. suariis ait Tacitus, quos Ptolomæus Dulnumnios vel Dulgunnios appellat, hos Willichius putat esse Brunsvicensis, Halberstadenses & Hildesemenses; idem dicit Peucerus: si illi aliquando pugnarunt vel fuerunt in Westphalia, potest fieri ut ab eis nomen, sortitum sit oppidum Dulmen in diocesi Monasteriensi, &c. Vicini sunt etiam Westphalis hodie, quos Mat- 70. riacos olim vocarunt, quos quidam Geldrenses esse putant, quidam Cle- venses, vel Seelandos: item Menapii sunt nostratibus vicini, quos scribunt Juliaceses esse: De Phrisiis diximus.

Dicunt alii etiam Hunnos hic habitasse & habuisse sedes, atque ar- 71. cem Wevelsburgam in ditione Coloniensi, eorum fuisse ajunt, &c.

Et nunc ego pro mea incitia & ruditate dixi quædam de populis olim in hac terra, quæ nobis Westphalia & patria est, habitantibus, vel in vicinia ejus: Hoc quidem me longe felicius & commodius potuissent olim viri ex Westphalis excellenter docti, imprimis & præ reliquis tres illi Hermannii Westphali, Buschius, Tulichius & Bonnus, quorum pri-

primus ut erat in omniliterarum genere versatus, ita omnes terras & locos per Germaniam, imprimis in Westphalia perspexerat: Est quoque adhuc in vivis venerandus senex & absolutæ eruditionis vir *Johannes Glandorpius*, quem optarem tale quid tentare, ut est in historiis versatissimus, aut nostra corrigere.

- Hodie sunt in Westphalia populi quidam dicti Surlandi, Bergenses, Emeslandi, Schlachterlandi, Nortlandi & Delbrugii &c.* *Surlandi* sunt in tractu Coloniensi & Comitatu Marka; *Bergenses* à montibus nomen habent & subsunt Duci de Berga; *Emeslandii* sunt in ditione Monasteriensi accolæ Amasis fluminis versus Phrisiam, & *Schlachterlandini* sunt in eadem ditione prope Kloppenberg; *Nortlandi* sunt in ditione Osna-burgensi, & *Delbrugii* in diœcesi Paderbornensi; & singuli habent suos proprios mores & loquelam, licet sint omnes Westphali.

